

19

RÖPL.
35

1518

Eur.
760



ORATIO PER R.
PATREM DOMI
NUM ERASMV
M VITELLIVM

EPICOPVM PLOCEN, IN CELEBRATIONE AVGVSTEN. CONVENTV AD CESAREM MAXIMILIANVM NOMINE VICTORIOSISSIMI REGIS POLONIE SIGISMVNDI HABITACORAM OMNIBVS SACRI IMPERII ELECTORIBVS PLVRIMISQVE GERMANIE PRINCIPIBVS DIE VENERIS .XX. AVGVSTIANO DOMINI M.D. XVIII.

M. H. MUSEI
KUNYV
TARABCI.

ASSISTEBANT EIDEM MAGNIFICI DVO ALII ORATORES. D. RAPHAEL CASTELLANVS LENDENSIS ET BOGVSLAVS LITVANIE MARSCHALCVS.

ILLVSTRI DOMINO ERASMO ROTHERO
DAMO VTRIVSQVE LITTERATVRE PRINCIPI ET
Theologorum duci, Iacobus Spiegel Selestadien impe-
rialis secretarius, S. P. D.

Ro inuictissimo Polonie rege Sigismundo / qui non mul-
tos ante annos & menses. maxima victoria in Hamaxobi-
tas (quos ipsi Molchos appellant) & Scythas (quos Tarta-
ros dicunt) potitus est. Reuerendissimus domjn⁹ Erasmus
vitellius episcopus Plocensis, singulari integritate vite, ra-
raque doctrina, Romanaque facundia insignis. vel eo mihi nomine preci-
pue colendus, quia cognominis / de te perque egregiam frequenter facit
mentionem. Primam (vt aulice aulico vtar verbo) audientiam coram
Cesare, sacri imperij electoribus oibus, et ceteris Germaniarum principibus,
proceribusque obtinuit. Sic ornate sic grauitate orauit / vt ad intima usque
precordia auditorum / vehementia sententiarum penetrauerit, pluresque
ad fletum concitauit / ei vero docto simul & facundo / omnes docti &
eloquentes palmam tribuunt. Aderant enim viri non pauci / tum exquisi-
tissime docti / tum in iudicando nares emunctissime. Antistes Tergestinus
Peutingerus. Huttenus. Bartholinus. Spalatinus. & Stabius ille in nullo
doctrinae genere non versatus. Henricus Stromer medicus, & Lauren-
tius Zochus iuriconsultus Cardinalis Maguntini florentissimi princi-
pis cancellarius. Igitur facta mihi primum pre ceteris elegantissime hu-
ius orationis copia. Quia digna multorum lectione visa fuit erudito-
rum calculo / & ab omnibus desiderata / imprimendam curavi, sub au-
gusto tuo nomine / quae omnia pietate sacra iure sibi vendicat / quam
haud subdusto supercilio accipere digneris. Non dubito quin vt audi-
entibus lacrimas commouit, ita haec eadem legentibus magis copio-
sas excutiet / & in rem christianam propensiores eorum animos reddet.
Valere tecum bene Rhenanum vere beatorum cupio, quem animo mecum cir-
cumfero / vti que fila vite quem maxime longeva exopto. vt in dies magis
ac magis felicibus auspicijs bonelittere / & maxime sacre reslorent /
Huttenus quia nihil est visus cecutientibus popularis litterationis ad-
miratoribus Nemini nihil peperit. Quem te Frobenio nostro publican-
dum iterum si tibi visum fuerit tradere velim / Mitram eius de vita au-
lica dialogum quae primum prodierit in lucem. Vale iterum ex Augu-
sta Vindeliciae pridie kalendas. Septembris Anno post partum virginis
maris. M. D. XVIII.

O R A T I O.

VENIMVS A REGE NOSTRO / SA-
cratissime Imperator ad hunc celeberrimum
Conuentum / quem solita uigilantia tua pro
salute Christiani status Equae comendate
ut opportune. hoc loco. & tempore instituere
curasti. Acturi. M^{is}. Regie. & amplissimi
morum eius dominiorum. nomine / que ad sanctam expeditionem
generalem. contra immanissimos Thurcas, totiens propositam
comode attinebunt / **Q**uantum vero necessarie sint. si-
mulque cum uita omnium nostrum desideratissime / preparatio-
nes iste. Christianorum coadunatis uiribus / hostis aucta po-
tentia testatur / iam annos circiter septuaginta. post infeli-
cem & calamitosam. bisantij captionem / que patulam ad nos
hostibus ianuam prebuit / nihil aliud audimus. quam clades
atque excidia continua Christianorum a Thurcis / Et dum omnes
ad resistendum. ut par esset / consurgere negligimus / Tot
principes cum subditis suis / tot reges cum eorum populis
Tot denique regna ditissima. cum magna iniuria religio-
nis nostre / & maxima indignitate christiani imperij / misera-
biliter deleta sunt / Que singillatim enumerare / dolor pro
fecto merore plenus prohibet / Quandoquidem neque ea-
me referre. neque vos audire. sicis oculis liceret / Capita
utcumque decerpam. Nonne uidemus Asiam uniuersam.
que e tribus orbis triangulis maior est. hijs & alijs infide-
libus occupatam. Affricam fere totam. impijs ac sceleratis
eorum manibus. desolatam. Europe magnam partem. tot incen-
dijs. & assidujs uastationibus. debilitatam. & hucusque dor-
mitauimus Sed neque his contentus hostis. ut forcior fieret

Egypti & Syriæ regem, quem Solthanum dicunt, aggressus superauit, Totiusq; Syriæ & Egypti, ea uictoria (Sed & Ierosolimæ matris nostræ ubi salus orta est) unicum se dominū constituit. Et altero fere imperio / longe ante formidabilē potentiam suam, auxit. Nos uero torpemus & bellis intestinis, plus insolenter q̄ necessario exagitati, gladijs nostris, domesticos fidei, aut potius nos ipsos, detestanda malignitate confodimus. Nec prophetæ sapientis uerba, quæ aduersus nos tanq̄ Ethnicos, clamitāt attenduntur / dignaq; facinori supplicia annuntiant. Ipsi inquit contra sanguinem suum insidiantur, & infra. Ego uero, dū eis repentina ingruerit calamitas, non exaudia. Parat nunc in Christianos, terra mariq; arma sua / instat Turcharum framea, capiti & collis nostris / & adhuc oscitamus, uixq; ad pacem mutuo amplectendam, tanta periculi magnitudine urgente / mentes componere volumus Leone sanctissimo, id dies noctesq; curante / hortat nos hostis / excitat a somno. Cōmonefacit desides. Torpentes terret / dum iam pridem ad hostia Tiberina / nunc uero ante paucos menses / circū Rachanati mœnia / & hisce iam diebus / dum hic agimus / iterum ad Ostiæ portus / ferro & sanguine debachatus sit. Nostamē fatis sic uolentibus omnia hæc quæ ultimū omnibus exitum minantur, ridiculū putamus / ut iam illud diui Petri naufragatis / dum sibi in fluctibus dexteram dari poposcit & meruit / dicere libeat. Salua nos domine, perimus. ¶ Collegerat similem conuentū se, re. charissimus genitor tuus / post insperatam carniole suæ depopulationem. Multa illic in eam

sententiam a uiris doctissimis declamata sunt. Multa etiā Prophetico quodam spiritu prædicta / nisi tunc instantibus / & euidentissimis periculis / aliter prouisum fuisset. Quæ omnia flebilis tandem effectus compleuit. Cum nulla consulta inuicem / & constituta nulla / suo ordine ut necessitas postulabat / debitæ executioni mandarentur. Et omnis rei benegerendæ cōmoditas / simul cum tempore / amissa sit turpiter / aut neglecta. Nunc iterum Cesar inuictissime / pro dignitate & debito tuo / conuentum hunc bono ceptum omine / diligenter prosequeris / ut labenti reipub. Christianæ efficaci opera subuenire possis. Et iuste quidem / sic enim christianorum imperator / re / pariter constabis & nomine, dum hij qui tuo subsunt imperio / a Cesare suo / adiuti fuerint & defensi. Quam equidem deliberationem / multo iam tempore / pro connata animi tui magnitudine conceperas. Qui annis his proximis / tres christianos Reges potentissimos / in Austriæ tuæ urbe primaria / tum splendide / tum honorifice tecum habueris / scedereq; simul immaculata fide percusso / plura cum eis in rem Christianam / mutuis tractasti consilijs. Quod reuera pro singulari gloria tua / omnium ora passim predicare non desistent / pluresq; adamantinis scriptis perpetuare curabunt. Neq; enim parens tuus, neq; Cæsares alij / tantū actum / triumphis Cæsarum merito equant dū / pro suo unq; desiderio efficere poterant. Omittim⁹ nunc chateruam immensam uictoriarū tuarum quæ tibi semp optatis ubiq; successibus respondebat. ut quilibet bonæ mentis, metiri ex his possit / quæ & quæta. in arbitrio & moderatione tua consistant. Quin & luce sit clarius.

plus ornamenti imperio. tua prudentia & felicitate allatū esse / q̄ tibi imp̄ij M^{te}. Atq; ideo pater patrie. a tota Germanica natione. que sub celo maior est. merito appellaris quibus im̄orari ut uolui / temporis uetat angustia / dum ista uulgata iam sint / & toti mūdo notissima / Tu deinde tua sponte & uirtute. Regumq; illorū hortamentis incitatus / nō modo in optimū propositū. & tua amplitudine dignū. deuenisse perhiberis / Sed ulro etiam. totius belli gerendi. progressum. rationes. ordinē. & modū. concinē describere. Tanta pericia Rei militaris. tantoq; studio. & oīm digna consideratione / ut facile appareat. inuentione hac tua. nedū Impatoris sumi. Sed excellentissimi quoq; armorū ducis. & animū fortem. & consiliū circūspectissimū non deesse / ¶ Habet rē hanc cordi. equa lance. Sedes sancta. Religionis nostre. caput & magistra. que tot annorum conciliū. feliciter continuās / singulares & urgentissimas admonitiones / qualibet sessione. ad hunc effectum instituere solebas / Vbi etiam Thurcarū tela. pectoribus suis infixā. Episcopi declamantes. ostendere uisi sunt / ut non uerbis tantum. sed rebus & sanguine ipso. pungerent segniciem nostrā / & deiectos christianorū animos. quantū possent erigerent / Cuius nauicule gubernator. uerum se Leonem in his prestat / quippe qui saluiferos rugitus / & uigilantissimas cogitationes suas / Summoq; & uero pastore dignas / ad hoc vnum conuertit / ut cōmunitatis / tantis periculis / ultimū iam interitū secū ferentibus / quantocius succurratur / Que omnia dignissimi hij legati. Sanctitatis sue. magis abunde explicarunt / Recte

gubernabant populū dei. Moyse & Aaron. Dauid & Nathan. Pluresq; Romani pontifices. cum Impatoribus christianis / iuncta simul gracia. utraq; potestas / Binum nobis reliquit gladiū. transiturus ad patrem. Saluator noster / Bina coluerūt elementa Perse. Ignem & aquā / Duobus & nos saluamur. fide & opere / Curabis & tu Cesar inclite. cum Leone sanctissimo / utroq; iuncto gladio / eripere de faucibus inimicorum / & tot calamitatibus. oues Christi / Inconfutilem enim tunicam suam representatis / que sub hoc tempore uestro. non absire profecto. inuenta est / Adhibebit ignem orationis. & spiritū fortitudinis benedictū sacerdotiū: neq; impensa deerit / Tu aquam nō gelidam / sed feruentissime defensionis. cū regibus christianis. indefesse suggeres / fidemq; nostrā & spem omnium. opere adimplebis. ut a ferocitate Turchi. salui simus. Vnica namq; est gloria. penates nostros. & Religionem in qua nati sumus. tueri & defendere / pro qua iam. omnes maiores tui. tot Reges & Cesares. sanctorū nonnulli Cathologo ascripti / felices & candidissime anime. plura bella in Europa & Asia. gloriose susceperunt. Qui semper magnanimitate ingenita. aliena querere. non sua amittere didicerant / Gignit nos natura misere. uiuimus demum tot onusti curis. Et tanq; flos cito arefcimus. decidimus tandē & morimur / Solus is diu uiuere perhibetur / qui dum uita excesserit / perpetuam sui nominis. bene gestis aut factis. memoriā propagauerit / Quo fit. ut adsumus absentes. mortuicq; uiuamus / Tritum fuit Adagiū apud veteres. pulchrū mori. decorat uitam / Quod plurimi ut

patriam conseruassent/corpus/ simul & animam deu-
 uentes/ uiuis effectibus comprobarūt. Tu itidem sacratis-
 sime Imperator/ ut tui secretiores referunt priora de chri-
 stiano statu secum repetens/ & futura ante oculos ponens
 mente ut sit Iberiore/ dicere soles/ nullū mortis genus te
 gratius excipere uelle/ quod in castris militaribus/ con-
 tra infideles/ ad uirentes campos feliciter eueniret. Ouir-
 tus animi cōmendatissima/ sic corporis robori tanti prin-
 cipis insita & coniuncta. Non hominis profecto delibe-
 ratio ista est/ sed numinis uox quaedam / & solo digna
 Cēsare/ dum non lectum Eburneū. Non sericeum pului-
 nar. Non auratū cubiculū/ sed prata uirentia/ & fenū rus-
 ticum pro delicijs regalibus exposcas/ ut debito imperia-
 li/ quo totæ christianitati teneris/ ingenue satisfacias, pro
 quo tibi omnes/ mentem sanam in corpore sano/ uitæq;
 diurnitatem precabuntur. Et ut in hoc tam gloriosissi-
 mo proposito/ animo inconculso persistas/ erectis in cœ-
 lum palmis/ attentius orabunt. ¶ Sed iam factis res ag-
 gredienda foret/ cōstantiq; pectore/ sine omni ulteriore
 cunctatione prosequenda / post tot concilia & decreta
 multa. Post tot conuentus & exhortationes uarias/ post
 tot instructiones & tractatus plurimos / armis tandem
 non argumētis opus est. Iam enim de his tam crebris, sed
 uanis aut nullis cōsultationibus & preparamentis nostris
 (ut quidā Mediolanensis ex Turcia profugus nuper in
 conspectu regis nr̄i retulit) sepius dicit Thure^o, admodū
 sublanātis, cōsulant xp̄iani cōsulant, & ego faciā Quod re

ipsa, & stupendis indies uictorijs demonstrat / Nos si
 ueri cristiani sumus. quemadmodū Thureus in dedecus
 nostrum affirmat. Christi fidem. ad sanguinē usq; men-
 te intrepida, nō ostentatione solū. sed affectibus sinceris
 obseruare. tueri. & quantū in nobis est manutenere debe-
 mus/ Quoad usq; uita nostra. cristiano aduersabitur no-
 mini; ut qui Christū imitari. pro Christo nos opponere.
 Religionis vinculo arctamur/ Contra eius legem. Cōtra
 oues suas. Contra ipsum Christū. ignauia. arrogantia. &
 excessibus nostris. in celum usq; cum gigantibus. letifer-
 ras sagittas. impudenter dirigimus/ De locis certamus.
 publica negligentes/ Hostis uero nos. & nostra omnia.
 ac loca simul. deglutire cōtendit/ Vnum hoc conclamatū
 est Turchas consilijs quibuscunq; non conuertemus / si
 armis non uincemus/ que diuini uerbi Concionatoribus
 elucidanda relinquo / Quandoquidem multa nunc est
 messis. & operarij multi ¶ Neq; id deterreat/ q; tam lon-
 go tempore/ orientali imperio. hostis crudelitas potita sit
 & desidia nostra. eius potentia sic increuerit/ ut firmata
 esse uideatur Ad occasum intueri uolenti. possibilis omnia
 & facillima comperiet/ Cum Sarracenorū imanitas. Gra-
 natam & magnam hispanie partem. supra septingentos
 años. hereditario admodū iure possederit/ At ferdinādi
 Regis uictoriosissimi constantia / Reginaq; Elizabeth
 deuotione/ & suorū fortitudine/ paucis annis. nedū recu-
 perata sunt omnia/ sed tota infidelium potentia/ nō a regni
 solum finibus abacta est/ Verum ad usq; inferiora Mau-
 ritanię littora/ cū perhenni illius Regis gloria eiecta. Ille

uero proprijs tantum uiribus, & unica suorum manu, strennue hæc gessit. Tu cōmune bellum paras, & generalē (ut aiunt) expeditionem, tua opera, consilio, & auspicijs, Regumq; omnium assensu. & horum prudentissimorum principum consilio (qui tuo lateri tanq; validissimæ columnæ adherent) instituere debes. Quis oro, tot Regibus & Principibus, tanq; numerosę multitudini, resistere poterit: dum & pacem exulantē multisq; ante seculis, inter Christianos desideratam, nūc iam cōmodissime pro tui & Leonis animi satisfactiōe, restitutam uides, & nouo quodam quinquennali fœdere, cum omnium qui bonæ uoluntatis sunt gratitudine, firmatam intueris, ut nil est amplius, quod ad rem propositam, feliciter gerendam desit, aut quod impedire possit. ¶ Non decriit uotis tuis, & Leonis sanctissimi. Serenissimus Rex noster cum omnibus dominijs suis, & tota illa Septemtrionis ora, modo bellis, alijs, quibus continuo impetitur, finem optatum imponere possit. Quos uero hostes regnū nostrum habeat, & quibus difficultatibus, Rex ille bellicosissimus detinetur, paucissimis explicabo, ne pijs auribus fastidij prebeam offendiculum, Notum est hac etate nostra, Sigismundi nomē celebre, longe lateq; plurimis uictorijs, fama refertissima peruolante. Nolo nunc Genealogiam & ortum clarissimi regis texere, quæ tuæ celsitudini, & his omnibus satis cognita esse debent, Casimirea domus est/ quæ regnare semper didicit, & uincere/ præsentiam matura pulchritudine, & aspectu iucundissimo decoram, tu nosti/ ita ex omni parte compositam, proces-

sesq; grauitati coniunctam / ut ad Maiestatem ipsam, nata esse uideatur/ Hic auito paternocq; & fratrum regno, senatu uocante succedens/ bello fortissimum/ pace uero splendidissimum, se prestitit/ & reddit. Quippe qui incomparabili iusticia/ clementia/ & liberalitate, sic apud suos omnes charus est/ sic eorum affectus/ æquitate/ & mansuetudine/ ac modestissimis legibus, in se deuinxit/ ut inter tot bellorum tumultus / nō quod ex veteri instituto solitū est, sed quod rex ipse precipit/ aut nutu solo designat, illico a suis omnibus/ cū summa animi alacritate perficitur, Quę profecto suprema laus regū est / dum quisq; subiectiōis suæ debitū/ amore illectus/ non timore percussus, serena fronte & libera exequitur, idq; efficit/ ut dum Scythæ fugaces (quos nostri Tartaros uocant) subito interdum & insperate/ fines nostros irruāt/ mox nobilitas e centro regni primaria/ benignitati principis satisfaciēs/ uitam propriam. & salutem, mera ipsorum uirtute, deuouere/ & in media usq; hostium agmina, obijcere non metuat/ spem reponens firmissimam. in optimi regis munificentia / qui benemerita cuiusq; dignis præmijs excitare consueuit.

¶ Urgetur namq; multis hostibus. regnum illud amplissimū/ Tribus a parte una, Scytharū ducibus potentissimis / multa Centena millia bellatorum, in statione campestri secū ducentibus/ qui se etiam Cæsares dicunt/ uno Theodosiæ propinquo, post Boristenem, ad latus maris pontici, in Taurica residente/ alter circum Tanaym, & paludem Meotidem, loca tenet/ & is in manibus regis est/

Tertij sunt remotiores. Asiatici/ uastissimam incolentes
solitudinem. & latissimos, tenentes campos/ hij omnes
repentinis incursionibus, Regnum depredari. & cōtinue
defatigari non cessant/ famem, sitim, estum, & algorem,
ac omnem inedia cōtemnentes/ Sēpius etiam Turchis
iuncti. Qui Monocastum & Licostomum occuparunt,
maiora & horrenda damna nostris inferunt/ Turcharū
enim nutu, Scythe omnes dependent. dum eadem Secta
sit/ Machometicis simul erroribus implicata. E quibus
plane deprehendi potest, facilius Catulos a maternis ube
ribus, q̄ Tartharos a Turchorū assistentia, diuelli posse.
Qui nunc etiam contra regem Persarum, optatas viginti
millium Equitum, suppetias tulerunt/ de his Rex noster
multas & insignes reportauit victorias / vt arces & loca
regni munitissima ostendunt. Quæ pacis tempore, pro
sui nominis immortalitate, ornatissime restaurat. Vbi Scy
tharum cathenate acies, Latericio in muris erigendis cer
tamine, quotidie congregi videntur. Est & alter hostis
non minor, ad rigentem Arcton, citra mare glaciale con
sistens, Roxolanorū dux/ quem nos Moscum dicimus/
sola perfidia & detestando scismate famosus. Is partem
regni Lithnanorum videlicet prouinciam, magno etiam
bellorum motu, turbat indies. Sed & hunc Rex noster,
patrocinate iustitia, fudit sēpius/ eiusq̄ potentiam, tri
ginta millibus in loco celsis, profligauit / q̄ plurimis pri
moribus ad vincula coniectis/ qui in omnibus Lithna
niæ castris, arcūissima detinentur custodia. Multis etiam
alijs captiuorum millibus, per vniuersum fere orbem,

uarijs Christianorū principibus, Mancipiorū loco dono
datis. ¶ Iamq̄ cruentum hoc bellum, decenniū superauit
dum sint, qui eas discordias, seminent, concitent, & turpi
ter alere non verentur. Sed proh dolor: non pudet etiam
Religionis professores, tantorū malorum auctores, & fa
ces esse/ qui litteris & nuncijs, ad eam rem fouendam, ma
gisq̄ irritandam, terra & mari, sursum ac deorsum cursu
tant/ ut Reges & Principes, alioquin forte quieturos, ad
pugnam inflamment, Salutis insigne, & candidam inno
centiæ vestem deferunt/ tanq̄ pacis amatores/ & fratrum
perniciem sitiūt/ bellorumq̄ fomitem, & totam causam
prestant, hij sunt, qui loquunt pacem cum proximo suo
mala autē in cordibus eorum. Sed reuera deus fucis non
illuditur. Breui nanq̄ eis secundum nequitiam adinuen
tionum ipsorum retribuet. Tuæ vero sacratissime integri
tatis studium, erga se, & statum suum pacandū, cognitū
habet Rex noster, pro qua beniuolentia, te vt parentem
alterum, obseruat, veneratur, & colit, velleq̄ vicissim eius
M^{tem} omni opera & facultate eniti, ut quacuncq̄ occa
siōe, & modis, tuæ celsitudini mutuo gratificari, & eque
fraternum officium prestare possit. ¶ Et ut finem dictis
imponam, his hostibus & quidem assiduis, Regnum no
strum, a tricenis pene annis premitur. Verum suo gre
tantū, suo milite, & maximis laboribus, totam hanc belli
molem sustinuit, nemine Christianorū Principum suffra
gante. Spe alebatur continua, & nudis semper pollicita
tionibus detinebamur, sumptibus & humeris nostris vi
cina hucusq̄ ocia fouebamus, ut iam tanq̄ defessi & im

becilles / a maioribus impensis continere non possemus,
 & deberemus merito. Nunc tamen ut priuatos effectus,
 publica uincat utilitas. Expeditionē hanc generalem cō-
 mendat summopere, & approbat, serenissimus Rex no-
 ster. Laudat modū de colligendo neruo bellico, & exer-
 citu congregando Quē sanctissimus dñs noster & tuę cel-
 situdinis prouidentia constituit. Alijque Reges & Princi-
 pes Christiani proponūt, Sed neque de eo pronunc M^{tem}
 Regiam cum senatu & subditis suis, quicūque decernere po-
 tuisse / inter domesticas difficultates / & bellicam occupa-
 tionem, cum ea quam nemini hostilitate / quibus aliqua
 ex parte, ut cūque compositis, & deliberatione huius dig-
 nissimi conuentus procedente, mox maiestatem suam, &
 de colligendo nummo, & de scribendo milite, in regno
 & dominijs suis, itidem constituere uelle. Nec pretermis-
 suram quicūque, quæ uires eius, ac Regni, & dominiorum
 suorum ferre poterint. Et quæ ad tam sanctum, diuque de-
 sideratum opus pertinebunt, dumodo aliquando cū ef-
 fectu aliquo. Christianę saluti consulatur / pro qua ut uer-
 bis utar regijs, & thesauros omnes, & sanguinem ipsum
 cum uita, effundere parata est. ¶ Perge igitur quo cepi-
 sti, sacratissime Imperator, & tot ac tantis gloriosissimis
 triumphistuis, unicum hunc, qui cunctos alios supera-
 bit, apponere cōtende, ut utriusque Imperij habenas. Chri-
 stiani omnes, te moderantē aspiciant, & letentur. Vinces
 proculdubio in signo crucis, hostes teterrimos, profliga-
 bis cum tanto apparatu & omnium potentiam. Turchas
 impios, exterminabis cum Leone sanctissimo & tot Re-

gibus spurcissimos infideles, & ad ultimos usque fines ter-
 re, tanque Christo alienos propulsabis, ut qui te Augustū
 in Augusta tua. & mense hoc Augusti, auguste comperi-
 mus, post multas de infidelibus partas uictorias, Macho-
 metique deleti nomine. Augustissimū tandem uideamus
 Iter autem parabit & diriget dominus, cuius res agitur.
 Carmine Prophetico attestante. Reuela domino uiam
 tuam, & spera in eo, & ipse faciet.

F I N I S.

¶ Impressum Augustæ Vindelicorū
 in officina Millerana.

¶ Aderant in hoc conuentu tres reuerendiss. dñi Cardi-
 nales, Caietanus, Gurcensis, & Maguntinus. Plu-
 resque Regum Oratores, & omnes fere Ger-
 manicę Duces, cum magna parte Episco-
 porum & nobilitatis sue primarię.
 Qualis in Imperio supra tri-
 ginta annos uisus nō est

Ioannes Miller.

ERRATA

Fol. tertio facie prima linea 8 sit, lege fuit. Et in fra li. 25. Cmittimus lege
 obmitto, & 27. n̄ debāt. Fol. eodē fa. 2. li. 1. o. describere (deest) curasti. In fra
 li. 18. solebat nō solebas. Fol. 5. facie, 1. linea. 2. Thureus in dedecus (abest)
 potius. Fol. eodē, fa. 2. li. 1. 3. nil, lege, nihil. Fol. 6. fa. 2. li. 4. defatigare, nō
 defatigari. Lithuanorū, & Lithuanie, u post th, non n. Fol. penult. fa. 2.
 linea. 11. nemini, lege, memini. In fra linea penul. potentiam, lege potentia.

Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

F I N I S

Faint text, possibly a title or subtitle, located below the 'FINIS' marking.



Large block of faint, illegible text in the middle of the page, likely bleed-through from the reverse side.

Faint text, possibly a signature or date, located below the main block of text.

Bottom section of faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side.



